

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

Rationes negantium à datis: artem in su'phure suppositam. Cap. XIII

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

ter. Alii autem in sulphure & huic affini arsenico, alii vero in marchasira, Alii in Tutia, alii in magnesia, & alii in sale Ammoniaco. Qui vero ipsam in corporibus posuerunt, similiter sunt diversi, alii enim in Saturno, alii in Jove, alii in quolibet aliorum corporum esse affirmarunt, alii vero in vitro, alii in gemmis preciosis, & alii in diversitate aluminum, nitrorum, & boracium, alii vero in omni genere vegetabilium ipsam inveniri assignarunt, & illorum unicuique supponenti alius est adversarius, secundum suam suppositionem. Et his adversans credit se arti simpliciter adversari. Et ut plurimum utraque secta vacua rationibus est.

Rationes negantium à datis: artem in sulphure suppositam.

CAP. XIII.

Qui igitur artem hanc in sulphure supposuerunt inveniri, in sulphure laborem impenderunt, & ignorantes ejus preparationis perfectionem, ipsum magisterium diminutum reliquerunt. Crediderunt enim solam mundationem & purificationem in ipso, perfectionis fore complementum. Hoc autem per sublimationem fit, ideoque adductum est intentioni eorum, ut existiment quod sola sublimatio in sulphure,

phure, sit perfectio præparationis in ipso, & hoc idem in suo compari videlicet in Arsenico autumantes dixerunt. Venientes igitur ad projectionem, quæ est ad alterationis intentionem, viderunt illud adui & evanescere in fumum, & modicam in corporibus moram protrahere, & ipsa corpora relinqui, ab eis fugiendo, & invenerunt ipsa corpora magis immunda, quam prius extiterunt, ante projectionem illius medicinæ. Quia ergo viderunt hanc delusionem in operis complemento, & longissimis temporibus, ex solo sulphure hanc scientiam reperiri, in illorum pectoribus fuerat revolutum, & cum in illo non invenissent, arguunt non posse in alio hanc inveniri, quare cum nec in hoc nec in alio hæc sola præparatione inveniatur, arguunt nusquam posse inveniri, & eam non esse.

Confutatio precedentium.

CAP. XIV.

Respondentes autem eis breviter dicimus, eos in hoc magisterio minime sapere veritatem: Quia supponunt solum sulphur vulgi esse materiam nostram, & si vera hæc esset suppositio, tamen in modo præparationis sunt decepti, quia solam sublimationem sufficere crediderunt. Sunt enim tanquam pueri, ex principio nativita-